

JUSTA FUNEBRIA;

VIRO olim

*Nobilissimo, Amplissimo Consultissimoque*

**DN. CASPARI  
BERNDTIO,**

Inclutæ Reip. Thorun. **CONSULI**

& p. t. Veter. Civitatis Judici,

utrobiqve meritissimo,

*a. d. XXVII. Septembr. A. O. R. M. DC. XCV.*

rebus humanis placidè exempto,

& Dominicâ XIII. post Trinit. quæ incidit in 2. Octobr.

ad Templum D. Mariæ Virginis

Solenniori Funere efferendo,

*Tristi mente ac manu  
exsolvant*

Gymnasii Thorunensis

**Rector & Professores Publici.**



THORUNII,

*Imprimebat Johann. Balthasar Bressler / Gymnas. Typogr.*

C58

**L**ugete, SILESI ,  
quotquot elegantissimam Thorunium inhabitatis, lugere.  
Nationis Vestrae Decus, Candoris Silesiaci Exemplar,  
Nobiliss. Ampliss. Consulcissimusque  
DN. CASPAR BERNDTIUS,  
Fridebergensis ad Quissum Silesius,  
Inclutæ Reipubl. Thorunensis Cos. & p. t. Vet. Civitatis Judex,  
illam condecorare, hujus Exempla dare, desit!  
Qvi hætenus in privatis ædibus delitium, in Curia præfidiū, vestrū extitit,  
vestra nunc vice versa ope opus habet.  
Cui, dum Consulis ac Judicis Officio apud nos fungilicuit,  
Jus æqvitate fermentatum perplacuit,  
is æqvum jam à cœlesti Judice expectat Judicium.  
Qvi Cœlum quoque solum Patriam credebat esse veram,  
è Mundo, tanquam è diversorio, abiit.  
Qvicunqve proin vivum amastis, mortuumque æstimatis,  
(æstimatis autem procul dubio omnes,  
qvi Emeritum quoque de Vobis benè mereri observastis, )  
intimate jam Fridebergensibus Viri Fata, & scribite,  
Pacificum fuisse, ut totum Vitæ ambitum, ita & Ejusdem è Vitâ abitū.  
Bonum est, vivorum; melius, mortuorum quoque; tueri memoriam.  
Memorate quin etiam Silesii Vestri Candorem, qvi subinde experti estis,  
etiam extra Silesiam Ipsum retinuisse characterem Silesii.  
Dum aliorum Virtutes commendatur, incenduntur propriae.  
Et quoniam Famam Idem non habuit solum, verum & meruit,  
notate in Eruditorum Diario hæc Epigraphen :

CASPAR BERNDTIUS

Probitate, Eruditione, Justitiâ, Sibi: Consilio & auxilio, Conterraneis suis,  
Borussiam fecit Silesiam, h. e. Patriam.

Confidite tamen etiam, ô Silesii mei, confidite.

Cum B. Berndtio magnum, non omne, exspiravit Solutium.

Ecce! In inclutâ Thorunensium Curia superstat etiam nū Biga CONSUEUM,

qvibus itidem Silesia Sangvinem, Sangvis Candorem, communicavit.

Postqvâ igitur Defuncto justè per solvistis Justa, ad vivos quoque; revertimini.

Credite, si Eos, perinde ac B. Berndtium, unâ mecum colueritis,

Sentietis, in iisdem vivere, immò reviviscere, Berndtium.

Wratislaviensis & Troppaviensis Fridebergensi non erunt inhumaniores.

Plura dicam :

Alii quoque, nedum Silesii, Silesiorum erunt Patroni.

Quot Curia nostra Procoss. & coss. tot etiam Silesiorum Mecænates alit.

Dum hi Merita, Illi Gratiâ, exhibere non dubitabunt.

Prudentibus Candor displicere non potest.

Ita ergò B. Berndtii lugete Fata, ut non simul de vestris desperetis Votis.

Modò benefacientes non defuerint, benevolentes quoque; non decrunt.

L. M. Q. ser.

M. Georgius Wendius,

Gymnas. Rector & Prof. P.

*Plura quæris? LECTOR,*  
*interroga, Cœlum,*  
*ecce ad posteros loquitur:*

QVI AD IVSTITIAM MVLTOS ERVDIVERVNT  
TANQVAM SOL ET FIRMAMENTVM COELI  
SEMPER FVLGEBVNT. Dan. XII, 3.

Grata mente fecit

PAVLVS PATER,  
Mathem. Prof. Publ.

CONSUL VITÆ SUÆ NARRATOR.

**S**lesia me genuit, doctorum clara Virorum  
Nutrix ac Mater prole beata sua.  
Illa dedit magnos Gesneros, illa celebres  
Sennertos, quorum fama decusque virent.  
Cratonēs peperit, Curæos, atque Pelargos,  
Illius flammis hos caluisse scio.  
His posuit terris sedem Germanus Apollo,  
Germanosque docet Teutonis ore loqui.  
Patria terra mea est, multis cantata Poëtis,  
Patrem at commendat nil nisi parma levis.  
Quando ætas vigit, placuerunt castra parenti,  
In Turcam chalybem strinxit & ille ferox.  
Hostes dum piguit dira stravisse bipenni,  
Texerunt lassum parvula tecta virum.  
Hujus opes fuerunt lac, angustique penates,  
Sobria paupertas, Gara superba fuit.  
Hujus eram ductu primis formatus in annis,  
Ad virtutis opes, ad pietatis opus.  
Artibus excoluit me Vratislavia doctis,  
Audit quæ gentis nobile delictum.  
Inde peregrinas meditor dum doctior oras,  
Nosse aliquid supra rura paterna volens,  
Thorunium venio, venientem prona recepit,  
Adscripsitque suis me Schola culta choris.

Musica

Musica pauperiem solata est nostra tenacem,  
Qva noram Civis condecorare lares.  
Me supra meritum Præconsul Prussus amabat,  
Credidit & fidei pignora cara meæ.  
Regalis Mons, Rostochium, me jura docebant,  
Qvæ sunt afflictis ancora certa piis.  
Ad Prussum redeo, meritis pietate verendum,  
Ille mihi portus, confugiumqve fuit.  
Hunc vivum colui, post mortem in imagine vultus,  
Clavo pendentes ante oculos habui.  
Talia, mortales, magnis monumenta Patronis  
Ponite, nil istis æqvius esse potest.  
Qvid tum? si torvo Momus vos dente laceffet,  
Vanescet livor, sed monumenta manent.  
Hic patriam, cultasqve domos, carasqve maritas  
Inveni, fateor, munus id esse Dei.  
Consul eram, Judex fueram, nunc judicor ipse,  
Stans summi ante Dei judicis ora Patris.  
Causa mea at vincet, Patrono & vindice Christo,  
Ille suis meritis me mea damna levat.  
Post tenebras mortis, phœbeo plenus Olympo,  
Annos in Cœli luce perennis agam.  
Nemo meos rapiet fasces, tolletqve Curules,  
Non intorqvebit lurida tela furor.  
Tu Conjux, cessa abruptas proflare qverelas,  
Rorantiqve oculo ponere scito modum.  
Non semper tetris se evolvit nubibus unda,  
Nec semper vultus imbre ferire decet.

*Nobiliss. & Ampliss. Viro Consuli, Fautori  
suo eximio, conscripsit*

**Johannes Rezik, P.P.**  
& Visitator.

os(o)se

144.113048

144.113048